



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis & Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.**

**Melanchthon, Philipp**

**Vuitebergæ, 1544**

**VD16 E 4532**

Historia Nativitatis Christi, Luc. 2.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35272**

## DIE NATALI

eareret sibi perpetuam ecclesiam. Quæ omnia sunt plena admirabilium operum, quæ ratio attonita non potest comprehendere. Ideo maxima pars hominum negligit propter incredulitatem, postea fascinata à Diabolico odit & persequitur, sicut supra significatum est: Tenebrae non comprehenderunt lucem.

Sed nos audiamus hunc filium sicut mandatum est: Hunc audite: Et discamus discernere eius uerbum à lege & à sapientia mundi, & accipiamus ex eius plenitudine gratiam & ueritatem, & sciamus certe, hæc contingere credentibus, & exuscitemus fidem intuentes in tot promissiones & mandata, quæ præcipiunt, ut credamus in filium, sicut postea ait Baptista: Omnis qui credit in filium, habet uitam eternam.

## HISTORIA NATIVITATIS Christi, Luc. 2.

**A**CTVM EST AVTEM IN DIEbus illis, exiit decretum à Cæsare Augusto, ut describeretur uniuersus orbis. Hæc descriptio prima, facta est prælide Syriæ Cyrenio. Et ibant omnes, ut describerentur, singuli in suam ciuitatem

tem. Ascendit autem & Ioseph à Galilea, de ciuitate Nazareth in Iudeam, in ciuitatem Dauid, quæ uocatur Bethlehem, eo quod esset de domo & familia Dauid, ut describeretur cum Maria sponsata sibi uxore, quæ erat pregnans.

Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies, ut pareret, Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eū in præsepio, quia non erat eis locus in diuersorio.

Et pastores erant in regione eadem uigilantes, & custodientes uigilias noctis super gregem suum. Et ecce angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Domini circumfulsit illos. Et timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus; Nolite timere, Ecce enim euangelizo uobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est uobis hodie saluator, qui est Christus Dominus, in ciuitate Dauid. Et hoc uobis signum: Inuenietis infantem pannis inuolutum, positum in præsepi. Et subito facta est cum Angelo

D 3                      multitudo

## HIST. NATIVIT.

multitudo militiae cœlestis , laudantium  
Deum & dicentium: **Gloria in altissimis**  
**Deo, & in terra pax, hominibus beneplacitum.**

**E**t factum est , ut discesserunt ab eis  
angeli in cœlum, Et homines pastores loquebantur ad inuicem: **T**rans-  
eamus usq[ue] Bethlehem, & uideamus hoc  
uerbum, quod factum est , quod **D**omi-  
**nus** notum fecit nobis, & uenerunt festi-  
nantes, & inuenerunt Mariam & **I**oseph  
& infantem positum in præsepi. **V**iden-  
tes autem, notum fecerūt uerbum , quod  
dictum erat illis de puerò hoc. **E**t omnes  
qui audierunt, mirati sunt, de his, quæ di-  
cta erant à pastoribus ad ipsos. **M**aria au-  
tem conseruabat omnia uerba hæc, con-  
ferens in corde suo. **E**t reuersi sunt pasto-  
res , glorificantes & laudantes Deum in  
omnibus quæ audierant & uiderant, sic  
ut dictum est ad illos.

**L**oci huius historiæ  
præcipui.

**Quare**

- I Quare fiat mentio Augusti, census & oppidi.  
II Quod promissiones mirabiliter impleantur.  
III Officia politica sanctorum.  
IV Curat deus praesepe, id est, aliquod hospitium ecclesiae suae.  
V Testes de nato Christo, angeli & pastores.  
VI Doctrina in concione & cantico angelorum.  
VII Cur angelus sic confirmet dictum suum: Scitote me uerum dixi se, quia uidebitis infantem in praesepi iacentem.  
VIII Mariæ studium, hæc testimonia memoriae mandantis, & repetentis.

## DE PRIMO.

I DEO fit mentio Augusti, census & oppidi, quia Quare si prædictum est, in quarta monarchia uenturum at mentio esse Messiam, & quidem stante politia Moysi, sed Augusti, tamen subiecta seruituti. Augustus significat quartam Consilium monarchiam, Census seruitutem, Oppidi & familiæ descriptio testatur adhuc stare politiam: Admonetur ergo Lector, ut cum euentum cum prophe-

D 4 tijc

## HISTOR. NATIVITATIS

**M**essia*tis congruere uidet, firmius credat: & refutantur Iis  
oportu*dæi, qui post quartam Monarchiam, & post euc-  
it nasci sam politiam Moysi, adhuc expectant Messiam, cum  
stant oportuerit cum stante hac politia, imò stante secun-  
ad huius do templo nasci, sicut Aggæus, Daniel & Micheas  
politia testantur.**

**M**osi & secundo DE SECUNDO.

**T**emplo. **S**ED mirabiliter implentur promissiones, pro-

**S**miserat Deus se daturum Jacob terram Chana-  
**D**an, sed prius inducit cum in Aegyptum, & ibi  
Quod m*longo tempore miseram posteritatem duriter affli-  
ratilitar git. promiserat se defensurum esse templum: sed ta-  
mple*men finit deleri à Nabugdonosor, & postea resti-  
tuit pro tuit. Ita plerique promissiones, aliter quam nos ima-  
missives ginamur, exhibentur. id scire nos oportet, ne uerbum  
Dei abijciamus, cum occurrunt impedimenta, quæ ui-  
dentur pugnare cum promissione: ut ecclesiæ promis-  
sa est uita, & tamen prius mergimur in mortem.**

**E**st igitur & hoc loco aliter impleta promissio  
**O**pino*quam homines imaginabantur. Sciebant omnes, fore  
Iudeo*ut nascetur Christus in Bethlehem, sed cogitabant  
vñ dñ futurum esse aliquem opulentum ciuem ibi habitan-  
M*essia*tem, munitum nobilium coniunctione, in cuius fami-  
lia nascetur Christus, ut haberet socios postea re-  
rum gerendarum. Quanquam autem Joseph est ciuis  
ac nobilis: tamen ibi non habitat, nec stipatus est  
præsidij**

præfidijs amicorum tantum in diuersorio exigui tem-  
poris hospitium habet.

## DE TERTIO.

**V**ENT VRV<sup>s</sup> erat Messias, cum populus  
esset in seruitute, & tamen haberet aūg<sup>s</sup>-  
vouīā. Maxime uero declarant seruitutem  
hæ duæ personæ natæ regio genere, nondum enim  
memoria generis extincta erat, sed ante annos cen- **Iannes**,  
tum & sexaginta adhuc tenuit gubernationem **Lin-** tritainis  
nes, qui ab Antiocho interfectus est, quem **Iannem** re **Joseph**,  
censet Lucas tritauum **Joseph**. Quare senes uiderant  
multos, quibus ille **Iannes** notus fuit. ut enim certa es-  
set familiæ series, Deus non uoluit penitus extinctā  
esse memoriam successionis in ea familia.

**Duo** autem discantur ex hoc exemplo. **Quod** san **politica**  
**cti** debeant politica officia obire pro uocatione, & **santorum**  
ea ad utilitatem ecclesiæ dirigere: ut hic fit, obtempe-  
rant sancti, & hoc iter seruit maxime utilitati eccle-  
siæ, imò Deus ita gubernat edicti tempus, ut seruiat  
**Augustus** quamquam ignarus, huic magno operi. **His**  
**exemplis** admoniti, sciamus **Deo curæ esse, nc imperia**  
**penitus obruant ecclesiam.**

## DE QVARTO.

**V**igitur hoc loco Deus curat præsepe na- **Curat**  
**scenti Christo**, sic semper aliquod hospitium **Denis** hos  
præbuit & præbet ecclesiæ, alias magis, alias piciū **E**  
**D** s minus **clesij sup**

## HIST. NATIVIT.

minus tranquillum. Ac de utraq; re commonefacit nos hoc spectaculum: de miserijs ecclesiae. & de hospitio. Est aerumnosa. sed tamen deus aliquod hospitium curat, ut nauim seruabat Paulo, tantisper donec in portum ueniret, Acto. 27.

## DE QVINTO.

**T**SSI eae que in ecclesia geruntur, non sic incurrunt in oculos, ut res gestae Alexandri, aut C. Caesaris, quae cōspiciuntur omnium gentium oculis: tamen Deus uult ecclesiam certam esse, & exhibet multa testimonia. Ideo & hic de Natiuitate mia & diligenter recitantur testimonia, quae nobis inculcare debemus, ut fidem in nobis confirmem. Initio testes sunt de tempore & loco, Daniel & Micheas: Cum igitur euentus respondeat, certum est uaticinia illa fuisse diuina. Iam uero à conceptu sunt testes Maria, Joseph, Zacharias, Elisabeth & horū familie. Anatiuitate pastores, magi, Simeon, Anna & multi alijs.

Est igitur ecclesia uisibilis coetus habens certa testimonia hominum uere asseuerantium ea quae Deus ostendit, etiamsi hæc testimonia propter personas imbecilles contemnuntur, ut pastorum narratio à multis spreta fuit. Et tamen aliqui etiam in functione ordinaria sacerdotum fuerunt testes, ut Zacharias & Simeon.

Nos uero diligenter ea nobis proponamus, quia fides

fides exemplo membrorum ecclesiæ confirmatur, de omnibus articulis. ~~Si~~ nul etiam consideremus diſsimilitudinem ecclesie & imperiorum, & sciamus ecclesiā non esse sine testimonij, etiamsi res quæ in ea geruntur non sic incurruunt in oculos omnium, ut exercitus magni imperiorum, qui peruagantur orbem terrarum.

## DE SEXTO.

**D**OCTRINA præcipue obseruanda est, & applicatio historie in hoc dicto: Ecce annuncio uobis gaudium magnum: Natus est uobis hodie saluator Christus. Nulla creatura potest huius admirandi consilij causas & magnitudinem satis expendere, immo humana ratio haec audiens, dei filium missum esse ut supplicio adficeretur, obstupescit & refugit. Ideo inquit Propheta: Quis credet sermoni nostro: sed nos haec cogitemus: cum certum sit genus humanum à Deo conditum esse, ut ipse agnoscatur, certum etiam esse, quod Deus in aliquo uerbo se se patefecerit. Prima est autem haec prophetica doctrina & unica, quæ omnibus ætatibus testimonia habuit, quod sit à Deo tradita. In hac doctrina reuelatum est hoc consilium de filio Dei. Ideo adsentiamur tot testimonijs diuinis, resurrectioni mortuorum & alijs, nec repugnemus uoci Dei, etiamsi non perspicimus resonatas.

*Doctrina  
in concio  
ne & can  
tico ange  
lorum*

Deinde

## HIST. NATIVIT.

Deinde de causis cogitemus. non frustra tanta res  
Dei consilio decreta & constituta est, sed necesse est  
**Tres** can*magnas esse causas.* **Bunt autem tres nobis praecipue**  
**sæ propter quas** cogitande. **Magnitudo iræ Dei aduersus peccatum:**  
**filii Dni** Conditus erat homo ad excellentem dignitatem, ut  
oportuit esset imago Dei, id est, ut in homine semper luceret  
notitia Dei, & Deus in eo habitaret & eo delectare  
tur, ibi acquiesceret ac sabbatum ageret, & homines  
uerè laudarent Deum. Hanc tantam dignitatem amis  
fit Adam suo lapsu, & iam æternam iram incurvrat,  
sicut Diaboli, nec ulla creatura placare Deum potest  
rat, nec ullum erat par premium pro peccato: Ideo fi-  
lius Dei intercessit illi magnæ & horrendæ iræ, &  
factum est decretum hoc admirandum de redemptio-  
ne per Filium Dei.

**Magnitu-** Si intelligeremus aliquo modo iram dei, posse-  
**do pecca-** mus melius cogitare hoc consilium magnam causam  
**ti & iræ** habuisse, sed humana cæcitas nec uidet, nec curat ista,  
**Dei T.** uerum ecclesia se ad harum rerum cogitationem aco-  
**causa.** cendere & excitare debet. Angelos arbitror magni-  
tudinem peccati & iræ dei magis ex hoc consilio aesti-  
mare, quam ex penitentia æternis Diaboli. Ac necesse est  
pium pectus omnino cohorrescere cogitatione harum  
rerum. Impi hæc non curant, quia non uident quam  
terrare sit peccatura. Nos uero cogitemus quam hor-  
renda

Yenda mala sint contemptus Dei, Epicurai furores, dubitationes de Deo, Idololatria, & multiplex confusio & contumacia aduersus Deum. Hæc illam magnam iram in mente Dei iusta excitarunt, quam placare non potuit ulla creatura, & propter quam deprecator factus est filius. Hæc prima causa est.

**S E C U N D A** est immensa misericordia æterni Patris: considerat opus quo uoluit delectari, nec uoluit illud in uniuersum perire, nec potuit auersari filium deprecantem, ideo decretum de filio mittendo factum est. Et quidem sciendum est, gratiam exuberare supra peccatum, ut inquit Paulus: Est ingens ira, sed placatur per hunc deprecatorem.

**T E R T I A** causa est ipsius filij amor erga nos, quem necesse est uerum & immensum esse, cum ex deprecator fuerit, & postea subierit pœnam pro nobis, & perpetuo sit propiciator.

Hæc omnia pluris faceremus si iram dei & pœna rum magnitudinem cogitare possemus. Angeli clamanter se annunciare magnum gaudium, quia ipsi intelligunt quanta res sit ira Dei & pœnae æternæ, ideo sciunt hoc beneficium uerè magnam lætitiam saluandis parituram esse, sed mundus his rebus parum adscicitur, habet quisq; sua negotia, quæ uoluptates aut dolores adferunt. Hanc præcipuam rem, dei reconciliacionem & uitam æternam pauci curant, sed

hæ

## HIST. NATIVIT.

hi qui curant & norunt peccatum, his est magna con-  
solatio filij agnitionis. Hi de applicatione huius benefi-  
cij teneant doctrinam de fide, quae hic in particula uo-  
bis significatur, uobis annuncio gaudium, uobis na-  
tus est, id est, unusquisque statuat pro se filium Dei  
uictoriam esse factum, sibi reconciliatum esse patrem,  
sibi redditam esse uitam aeternam.

## DE CANTICO ANGE-

*Doctrina in*

*cantico  
angolorum*

*Collatio  
hymni  
ad statu-  
futuri  
regni.*

*lorum.*

**SIC VIT** Prophetæ de regno Messiae loquentes  
plerunq; de consummatione loquuntur, uideli-  
cet de illo ipso futuro statu, in quo resuscitati  
fruemur aeterna gloria cum Christo: ita si hic angelo-  
rum hymnum ad eum statum referas, quem certe com-  
pletebuntur angeli, facilima erit declaratio. **Et hym-**  
**nus est** descriptio illius aeterni regni. quasi dicant,  
Messias adferet uobis deinceps non imperium mundi,  
sicut putatis, sed aliud quoddam regnum, quod erit  
tale, Deus coram agnosceretur, et tunc aeterna et uera  
laude sine ullis dubitationibus celebrabitur, intellige-  
mus quomodo sit conditus homo, intelligemus iram  
Dei aduersus peccatum, et prædicabimus misericor-  
diam, conficiemus filium Dei. Et qualis sit illa mi-  
randa societas diuinæ et humanæ naturæ uidebi-  
mus, cernemus quomodo semper adfuerit ecclesiae, et  
quomodo factæ sint mirandæ liberationes, **Interces-**  
**sio**

*Si post lapsus liberatio in diluvio, in mari rubro,  
et deinceps omnibus temporibus laudabimus igitur  
potentiam, sapientiam, justitiam, bonitatem, et misericordiam Dei.*

**E**rit et in terra Pax. quia Diaboli et impiorum Pax minores erunt in suppliciis aeternis, et mors erit abolta terra. Ecclesia ardebit amore Dei, et erit dulcissime conquisita, societas, benevolentia et studijs doctrinæ, nihil odiorum, dissidiorum, tumultuum et factionum erit. Nec erit tantum pax, sed etiam Lætitia hominibus, quia ipsis hominibus bene erit, et suauiter fruentur respectu Dei et Christi, agnitione tantarum rerum et mutua consuetudine. Si illum statum inspicias, quem certe complectuntur angeli, facile potest intelligi canticum.

**C O N F E R** autem ad hunc statum regna mundi Antithesis. Primum debebant Dei gloriam illustrare, sed fere si quissemper defunderunt et defendent Idola, et manifestus est contemptus Dei in maxima parte regum: ut Alejandro, Antiocho, Cæsare, Caligula et c. Nec in terra faciunt pacem, quia subinde noua bella, noui tumultus, nouæ confusiones omnibus aetatis oritur, adeo ut non sine causa dicat Plato: pacem inane nomen esse: quod cur dicatur, gubernatores facile intelligunt, qui sciunt nihil esse otium et quietis. Deinde semper manent in mundo inter principes et

## HIST. NATIVIT.

in populo, odia, iniuriæ, & perpetuae discordiæ. Postremo nec lætitia est ulla diuturna in hac uita, quæ obnoxia est infinitis calamitatibus, & morti, & accidunt poenæ æternæ. Hæc antithesis declarat **Hymnū Angelorum.**

Quanquam autem commodissima & maxime iustis est hæc interpretatio de consummatione regni Christi, tamen quia id regnum in hac uita inchoatur, etiam ad ecclesiam ante resurrectionem accommodemus hunc hymnum. Eadem gloria Deo tribuenda est in hac uita, et si nondum cernitur oculis corporalibus. Eadem pax & lætitia erunt in animis, sed interim incurruunt multa impedimenta. Magnæ œruria fortis faciunt ne conspiciantur in animis illa inchoata bona. Deniq; hoc futurum regnum, quod hic inchoatur, adhuc uelatum est.

Idem significant hæc quæstiones. Quid adfert adventus Christi? Quæ sunt beneficia euangelijs? Quale regnum est ecclesia? Hæc adfert Christus seu hæc beneficia distribuit Euangelium, facit ut gloriam Deo tribuamus, ut sit pax in terra, & ut homines uerè latentur, seu habeant uera & non peritura gaudia.

## DE GLORIA.

**T**ribuere gloriam est tribuere potentiam, sapientiam, iustitiam, honestatem, & misericordiam: ut Epicurus non tribuit Deo gloriani, quia

quia fingit nihil esse Deum, aut Deum ociosum esse.  
Nec **Saul** tribuit Deo gloriam, et si enim iudicat esse  
Deum, et sentit eum irasci peccatis: tamen non sta-  
tuit sibi ignosci, fugit Deum et horribiliter ei ira-  
scitur. Ergo nec ratio nec lex sine euangelio tribuit  
gloriam Deo. Ut igitur uerè tribuatur Deo gloria,  
necessè fuit per Christum adferri ex sinu Patris euan-  
gelium, quo audito, tribuimus Deo misericordiam,  
quod uerè nos recipiat, uere remittat nobis peccata,  
curet nos, et uelit nobis reddere uitam æternam.  
**H**ic igitur agnoscimus Deum non esse otiosum, sed  
iram sentimus in poenitentia et poenis, et misericor-  
diam cernimus in remissione peccatorum, quam cum  
credimus, simul statuimus, uerè nos respici, exaudiri,  
curari, iuuari, defendi ab eo.

Ita gloria tribuitur Deo prorsus eadē, quæ tri-  
buerit in uita æterna, sed tunc erunt omnia illusio-  
ra. Nunc impediunt ærumnæ foris, ne gloria conspi-  
ciatur. uerè pius circundatus à Turcis, et si uidet ma-  
gnam esse potentiam Turcicam, et species talis of-  
fertur oculis, quasi Deus nihil curet nos, tamen reti-  
net hanc sententiam: Christus pro nobis crucifixus  
et resuscitatus uerè est filius Dei et saluator noster,  
propter hunc Deus te recepit, te curat, et in æternum  
seruabit. Ac nunc quidem ecclesia dispersa est, et  
subiecta cruci, iusto iudicio Dei, sed tamen aliqua

E      membra

## HIST. NATIVIT.

membra seruabit Deus in hac uita, etiam si aliqua ini-  
terfici sinit. **Sic** pius tribuit gloriam Deo, quod ad sit,  
recipiat, curet, sit scrutatus, etiam si externe aerum-  
nae impediunt, quo minus adhuc illa cernantur, **E**t con-  
spicietur gloria suo tempore.

## ET IN TERRA PAX.

**P**AX in ecclesia praesenti talis est. inter Deum  
per ecclesiam pax est, quia Deus iam placatus  
per Christum non irascitur nobis, **E**t nos non  
fugimus eum. **E**st item pax aduersus hostes eatenus,  
quod custodem certum habemus contra Diabolum,  
**E**t eius organa, **E**t scimus non posse scire hostem  
pro sua crudelitate, sed reprimi cum a Christo, nec  
plus nocere, nisi quantum ei permittitur, sicut in-  
quit Christus: **C**apilli capit is uestri numerati sunt  
**E**cce. Cum autem adhuc maneat mors corporis, ma-  
nent **E**t ceterae calamitates communes generis hu-  
mani, **E**t Diabolus non desinat oppugnare eccl-  
esiā, nondum pax consummata est. **A**ccentur hostes,  
etiam si nondum sunt prorsus oppressi. **S**ed erit inte-  
gra pax cum ecclesia post resurrectionem ornabitur  
sua gloria.

**L**aetitia. **O**mnes homines querunt aliquid ulti-  
mum in quo acquiescant, **E**t quo uere letentur: **Sic**-  
**ut** auaro summum bonum est quo uere letatur, im-  
gens accessio pecuniae, **E**t uere dolet ingenti iacturae

ite

Ita Scipioni summum bonum est gloria uictoria,  
hac maxime laetatur, & cōtra maxime doleret si uincetur. Hæc exempla monstrant qualis sit hic adfē-  
ctus, quærens aliquod ultimum, quo laetetur ani-  
mus.

Sed supra continuos hominum affectus, est in ec-  
clesia, ut in Ieremias, in Paulo, peculiaris affectus, ac-  
quiescere in Deo seu laetari agnito Deo, quem sci-  
unt iam se habere propicium & custodem, quare ei  
uolentes & laeti obtemperant, & hac letitia supe-  
rant metum & mœrorem, quicun adferunt pericula  
corporis, famæ aut rerum. ut cum Laurentius iacet Laurētīg  
in craticula, tamē retinet magnitudinē animi acquie-  
scētis in deo, quæ nō potest existere, nisi animus laete-  
tur & delectetur deo. sic David inquit: Pater & ma Dāvid.  
Pater dereliquerūt me, dominus aut suscepit me. Itē: De-  
disti letitiā in corde meo, à fructu frumenti multiplica-  
ti sunt. Porrò sine Christi agnitione nō potest animus  
laetari deo, quia adhuc fugit iratū. Itē nō scit placere  
deo obedientiā, in tanta nostra infirmitate. Sed illas  
priores partes hymni comitatur letitia. Gloria  
ficit uera notitiā dei in euangelio patefactā. Pax, si = Pax  
gnificat pacē cū deo, & custodiri à deo, ex his oritur Latīcia  
letitia et uolūtaria obedientia. Sed hæc letitia in hac  
uita sēpe interturbatur magnis terrorib. & dolorib.  
ex quib. tamē cluctatur, sed post hanc uitā erit inte-

ḡd.

E 2 V

## HIST. NATIVIT.

**V**t autem intelligas Hymnum concionari de summis bonis & de uita æterna, intuearis primum præceptum, prorsus enim complectitur hymnus præcipua opera & summos cultus primi præcepti, scilicet ueram agnitionem Dei, pacem cum Deo, id est, credere Deum esse reconciliatum propter filium. Et letitiam id est, ueram dilectionem Dei. Hæc cum erunt consummata, erunt ipsa uita æterna. Est ergo Hymnus descrip<sup>io</sup> beneficiorum Christi, seu summa euangelij, seu descriptio regni æterni ecclesie, quod tamen in hac uita inchoatur. Præterea ut angeli sunt præcentores, ita sciant omnes pastores se hunc hymnum debere ecclesie præcinere, id est, tradere ueram doctrinam, qua agnoscatur Deus, annunciare pacem conscientie, propter filium Dei, & esse autores pacis & concordie in ecclesia, retinere etiam letitiam conscientiarum, id est, cauere ne saudientur conscientiae uel perturbentur, quare impeditur inuocatio. Impij doctores omnia membra conturbant. Primum, quia falsa doctrina ludit gloriam Dei. Deinde turbat concordiam ecclesie. Tertio sauciavit mentes ne recte inuocent Deum. Iulius turbat in secundo gradu contendens de re non necessaria, de tempore Paschatis. David quamquam erat bonus doctor, ac retinuerat cordiam, tamen contristat bonos suo scandalo, raptæ alterius coniuge. Sunt ergo intenti doctores in hos tres

tres gradus, ut uere præcinant Hymnum angelicum populo, id est, ut uera doceant, pacem pījs conscientijs annunciant, tueantur concordiam, & caueant scandala, ne quoquo modo sauciatis mentibus impediane invocationem Dci.

## DE SEPTIMO.

**S**IGNA plerunq; uocantur opera inusitata à Cūrān  
Deo facta, ut testentur aliquid nunciari diuinis gōtis cō-  
stus. ut resuscitatio Lazari erat opus à Deo fa- firmet  
Etum, ut testaretur Christum ucrē à Deo missum esse. **A**līas aliter signa intelli-  
guntur, **H**ic simplicissimum est dicere, quod signum  
uocet, non miraculum quod de narratione testifice-  
tur, sed rem qua uelit agnosci hunc infantem & dis-  
cerni à ceteris: quasi dicat: **H**ic infans est Messias,  
quem inuenietis positum in præsepi, in fasciolis. **I**t  
discernitur infans à ceteris omnibus, quia Deus certo  
monstrari Christum uoluit, uoluit sciri quis esset,  
ubi esset, quae mater esset: **V**ult enim Deus extare cer-  
ta testimonia tantæ rei in ecclesia. **C**æterum ipse con-  
spectus angelorum erat signum, id est, miraculum te-  
stificans de narratione, **D**ifficile erat credere hunc  
esse Messiam natum ex paupercula muliere, ut igitur  
hoc crederetur, pastores confirmantur re inusitata,

E 3 conspectus

## HIST. NATIVIT.

conspectu angelorum, sed ut agnoscant & discernant infantem a ceteris, adduntur circumstantiae.

**Allegoria** Cæterum hic allegoria consideretur, quod iubet in dicto infantem querere in praesepi inuolutum fascijs, signi angeli significat Messiam quemadmodum esse in dictis prophetarum in ipso populo legis, suntque dicta prophetarum fasciae, quibus euolutis afficitur & agnoscitur filius Dei. Cur credis filium Dei induisse humanam natum? Quia credis solum hoc uerbum quod extat in ecclesia, esse a deo traditum, & in hoc uerbo Deus promisit se tales Messiam missurum esse, Hæc confirmatione, hoc testimonium toto pectore tenendum est, quod Deus clarissimis testimo[n]ijs ostendit se tradidisse hoc uerbum prophetis, Christo & apostolis, quod sonant: Et in hoc uerbo adfirmatur, tales esse Messiani: ideo assentiris. Omnia igitur miracula a principio, omnia dicta Prophetarum, sunt signa & testimonia de hoc Messia, Hæ sunt illæ fasciae, quibus inuolutus est, has uult nos considerare Deus, dedit testimonium uerbo Moysi, & deinde aliorum Prophetarum, qui omnes eandem promissionem repetierunt, Esaias inquit: Parvulus natus est nobis &c. Deus, pater uitæ æternæ. Micheas inquit: Egressus eius ante initium mundi. Ioannes inquit: In principio erat uerbum. Adducent etiam, cur datus sit: ut, Ecce agnus dei, qui tollit peccata mundi. Cum igitur nominantur fasciolæ, de duobus

duci nos ad talia dicta sciamus, quibus uerè inuoluta  
est notitia Messiae, et hæ fasciæ sunt signa, id est, te-  
stimonia miranda de Messia.

## DE OCTAVO.

**V**O D inquit Mariam hæc omnia memini. **M**arij  
nisse et contulisse in corde suo, monet to- **S**icut  
tam ecclesiam, ut hoc studium consideran- **huc usq**  
di testimonia imitemur, **A**udierat mater ex pastori- **mōia**  
bus narrationem angelorum, **H**anc confrebat ad cœ- **memorij**  
tera miracula quæ norat, et collatione omnium con- **mātatis**  
firmabat suam fidem, **R**ursus et Ioseph exposuit pa-  
storibus miracula sibi nota, ut illorum fidem confir-  
maret, **I**ta nos alere fidem et confirmare debemus  
collatione omnium harum rerum, dictorum prophe-  
ticorum, miraculorum et factorum quæ narrantur  
in euangelio, **H**ec meditatio utilis est pijs, ac semper  
accedat ultima cogitatio de causis, non temere, non  
frustra, tantâ rem à deo decretam esse, ut filius indu-  
ret humanam naturam: longe supra conspectum o-  
num creaturarum posita est causarum magnitudo, **C**ausæ  
sunt enim causæ, uera et inenarrabilis ira Dei aduer- **cūr filij**  
sus peccatum, et immensi misericordia erga genus hu- **dī mī dī**  
manū, quod deus cōdiderat, ut in eo celebraretur. Ideo  
totum perire noluit. **Q**uare agnoscamus uoluntatem **prīt hī**  
dei, et ei gratias agamus, qđ filium misit, et sicut in **manam**  
scriptū est: **O**sculamini filium, ita uera pietate cum **naturā**

E 4 amplexas

## HISTOR. NATIVITATIS

**Q**uis proptere amplectamur, discamus hunc praecipuum cultum de esse, inuocare Deum fiducia filij, & statuamus uere sit cultus exaudiri sic inuocantes. Talibus exercitijs uult Deus in nobis ueram fidem accendi. & haec fides est agnatio Me&beta;iae, quae est inchoatio uitae aeternae, sicut scriptum est: Haec est uita aeterna ut agnoscant te esse uerum Deum, & quem misisti Iesum esse Christum.

## DIE CIRCUMCISIONIS DOMINI, Euangeliu Luc.2.

**E**t postquam consummata sunt dies octo, ut circumcidetur puer, uocatum est nomen eius Iesus, Quod uocatum est ab angelo, priusquam in utero conciperetur.

**I** Locus. Collatio ritus & uerbi Dei.

**II** Quid sint Sacra menta.

**III** Quare sit instituta Circumcisio, & cuius beneficij fuerit pignus.

**III** Quid significauerit, & quare in hac parte corporis uoluerit Deus extare signum.

**Quare**